

Incipit Livini quid virtutis opusculum  
MAMUCII.

**D**icitur terras decus orbis, gloria rerum,  
Virtus, mortali dicta negare mori.  
Non hanc in quoquam spondet flos indolis usquam.  
Scis nihil est pietas, nominis umbra: fides.  
5 Si cælum staret, si sol lucere negaret,  
Si nix ferveret, frigida flamma foret:  
Non sic pallerem, non sic mirando stuporem,  
Quam si nunc usquam quemque pium videam.  
Femina quod vitulum generavit, vacca quod agnum,  
10 Quod vulpes quondam filia suxit equum.  
Tunc enarranti non demeruit mage credi,  
Quam si nunc aliquem dicis habere fidem.  
Vivit quisque sibi nunc temporis, una voluntas  
Pectore diverso nescit habere locum.  
15 Quærit quisque suum sibi soli solus amicus;  
Non existit, onus quem gravet alterius.  
Cum fueris felix multo stiparis amico:  
Prospera mutentur: respice solus eris.  
Quos præsens jungit fugiens fortuna resolvit,  
20 Testans in pretio se fore, non homines.  
Affæcta fortunæ prærodit callidus hamum.  
Morsus apis solvit, quos mel habet socios.  
Non est ex alio qui vere dicere posse:  
Hic meus ater ego; mens sumus una duo.  
25 Desperet quisquam quid posthac non erit usquam  
Qui tibi tu nulli: qui sibi nemo tibi.  
Quos tu nunc audis in climate quolibet orbis  
Dulcis amicitiae par generare novum?  
Quis frater fratri nunc est, Pilades quid Oresti?  
30 Quis cuiquam Theseus quod Peritoe tibi?  
Nil Thetamon voluit, nisi quod secum Meleager  
Quæ Patroclie tui mens & Achillis erat.